sine cruciatu possitis, durâ latinitate, quali in his officinis cuditur, saene lancinati. At in Heinsio hoc, pridem in Vossio, Barlaeo alijs consuetudo est et habitus. si fers aut cupis ne sim tiro tuae semper amicitiae, specta juvenis armanda auris est, et firmare animum expedit constantibus exemplis: in ea tempora natus es. Nunc, ut paulò benignius te dimittam, Vale et me ama Vir doctissime et amplissime Tuus C.H. 29. Dec: 1636.

(250).

Lareno. Ditasti me munisculis tuis Vir Reverende, ego te alienis, cum de meo non sit, quod ~~rependam~~ rependam. ergo quantum hic beneficii agnosces Principi meo acceptum ferto. me ut vel mallei vel cunei loco habeas, operae pretium, et abundè fecero. superest ne hoc morae aliquantulum mihi imputetur, quod si ab humanitate tuâ impetravero, qui avocamenta nostra et aulae genium non ignoras, omnis gratiae vicem superaveris magis, quam impleveris, quicquid enim tibi suggeras nihil neque cuneo neque malleo debes, sed victrici dexterae, quae illos rexit, et his pauculis non invitè subscripsit. Amato et hanc meam, tamen licet immerentem nisi quod, et libentissimè hic testatur et subscribit esse me ex animo tuum 7o. Januarii 1637.

C.H.

Grotio. Nobilissime et Amplissime Domine.

(251).

Quod ab Affine Reigersbergio in antecessum acceperis, rogat te Princeps meus, ut paulisper hoc sibi vaces, et quà commodo tuo fieri possit, sententiam scripto exponas circa tres quaestiones schedulâ istâ comprehensas. Prima, ut intelliges, illustris est, et apprimè te digna; proposita pridem quoque nonnullis et praecipuis, sed communium et quales hoc ferè forum occupant trivialium caussarum patronis. quorum solutiones proinde trepidè, et παραφόρως datae non fuit visum acquiescere. Quae sequitur, ut multifaria sit, neque unius genii, minus nodi habet, inspectis, quae accedunt Testamentis, et quas impetravimus ut ad singula feuda annotavi, strictius laxiusne testandi licentiis. Adeo hic stabiliendis magis aliorum opinionibus et responsis adhiberis Vir summe, quam ut quasi desperato ulceri archiater invoceris. Tertia, ne fallaris, non Jurisconsulti cujuspiam, sed solius Principis est. qui περὶ τοῦ ἀδυνάτου τοῦ πράγματος, non semel monitus, controvertere

Quae

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 86r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1520